



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Exhortationes|| Ad|| Religiosos

Dirckinck, Johann

Coloniæ Agrippinæ, 1704

5. De induendis Christi insignibus & vestimentis. Thema. Induimini
Dominum Jesum Christum. Rom. 13.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51834](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51834)

nunquam eò studia, conatus, ac talenta dirigite, ut suo tempore aliis præesse valeatis; sed (salvâ semper obedientiâ) quantum licet, humiliora semper sectemini, & subesse potius, quàm præesse

eligatis atque optetis. Hâc vî strictissimam de alienis animabus Deo reddendam rationem, judicium durissimum, Præsidibus incumbens, & supplicium gravissimum feliciter evaditis.



EXHORTATIO V. IN REGULAM XI. SUMMARI.

De induendis Christi Domini Insignibus ac vestimentis.
Scilicet contumeliis, falsis testimoniis, injuriis,
& stultitiæ titulo tolerandis

T H E M A.

Induimini Dominum Jesum Christum. Rom. 13. 14.

V E L :

Optant Insignibus & vestibus Christi indui. Reg. II.



Uemadmodum Aulici, Ephebi, alique Cæsarum ac Regum famuli certo vestimentorum colore ac formâ tanquam insignibus resplendent; quibus ab aliorum Principum famulatio distinguantur: ita Rex Regum, ac Cæsar Cæsarum Christus Dominus, ejusque ministri sibi circumferunt Insignia; quibus & nos indui hâc regulâ cupit S. I G N A T I U S.

In veste summi Sacerdotis. & in malis punicis ad oram vestimenti ejus

pendentibus quaterni resolvebant colores, ut Cap. 28. 15. Exodi legitur. Conficiebantur enim ex hyacintho, purpurâ, cocco his tincto, & bysso retortâ; qui colores tropologicè virtutes sacerdotales adumbrabant. Colores iidem mysticè reuocant in veste Summi Regis ac Sacerdotis nostri JESU Christi; ejusque excellentissimas virtutes indicant. Hyacintho, ejusque colore caruleo seu violaceo representatur profundissima Christi humilitas, demonstrata in perseverentia tot tantisque contumeliis. Purpurâ denotatur Ejus patientia, ostensa

1.
Vestis
Christi
hyacinthi-

in

in tolerandis falsis testimoniis, aliisque penis ac tormentis. Cocco bis tincto, qui est coloris rubicundi & ignei, figuratur ardentissima ejus erga Deum & Proximum Caritas, patefacta in susce-
rendis tot tantisque injuriis. Denique colore candido in bysso retortâ ostenditur eximia Christi Domini innocentia, castitas, & tolerantia in contemptibus, irrisionibus, & stultitiæ titulo, in alba veste apud Herodem sustinendis.

Hanc vestem, hæc Insignia Christi cupit nos induere S. Patens noster, quod ut animosius, alacriusque præstemus, luculenta Christi Redemptoris nostri exempla in exhortatione hodiernâ intuebitur.

1. Vestimenta Imperatorum ac Regum terrenorum atro gemmisque dicantur, quo honorem, veneratio-
nemque sibi concilient, & Majestatem Imperatoriam aut Regiam declarent. Eorūque Insignia sunt paludamenta polymita, diademata aurea in capite, sceptraque in manibus coruscantia. Quemadmodum Augustissimus Imperator Leopoldus hoc anno 1700. 16. die Februarii in throno sub uranisco, atro fulgente residens, Proceribus aulæ, atro quoque & gemmis radiantibus stipatus Legationem Turcicam, pariter atro & gemmis rutilantem excepit. Hæc sunt vestimenta, ornamenta atque Insignia Regum terræ. At Rex noster caelestis, cæli ac terræ Monarcha humilissimus aurum & gemmas, splendorem & pompâ externâ despicit, rejicit, calcat, illisque omnino contraria exoptat & eligit, nam 1. Pro Paludamento Regio,

aut tunicâ sacerdotali assumptit hyacinthinam vestem humilitatis, quâ omnis generis contumelias sustinuit, ut nos ad imitationem accenderemur: atque ut ad particularia descendamus.

1. Rex & Sacerdos noster summus omnis temperantiæ ac modestiæ erat regula: & tamen audire debuit: *Ecce homo vorax & potator vini.* Matth. 11. 19.

2. Erat speculum absolutissimæ demissionis & perfectionis; & insimulatur superbiæ. *Nunquid (inquiunt) Tu major es Patre nostro Abraham? Quem teipsum facis?* Joan. 8. 12. 3. Summus erat Patris sui honoris, laudis & gloriæ zelator; & ceu blasphemus traducitur. *blasphemavit.*

4. Erat Debellator omnipotens Principum tenebrarum; & tanquam pactum cum iisdem habens diffamatur. *In Beelzebub Principe demoniorum ejicit demonia.* Lucæ 11. 15. Et *Demonium habet.* Matth. 9. 14. 5. Erat omnis religionis & obedienciæ norma: Et Violator Sabbati nuncupatur.

Atque hic primus est color vestis Christi, quem amavit, elegitque; nobis præbens exemplum, ut sequamur vestigia ejus. At ubi est ejusmodi in nobis amor & desiderium? luxit hoc in Apostolis, Martyribus, Confessoribus eximie perfectionis: At quam longè ab his distamus? Qui laudes & plausus majore gaudio, quam contumelias contemptusque suscipimus? Unde verò illud? Nondum Mundum, ejusque vanitates perfectè sprevimus; nondum fructus in iis reconditos percipimus; nondum ardente Christi amore & imitandi desiderio ardemus; nondum seridè ad laudes & honores æternos aspiramus?

O si Beati Juniperi S. Francisci Socii Intellectu & affectu præditi essemus! Qui contumeliâ & ignominia affectus, gaudio exultabat, apertoque vestis sinu dicebat: *Huc mihi hos lapides pretiosos conijcite: Ejusmodi probra & scommata omnibus lapidibus pretiosis anteponeas.* Nunc verò cum nobis tenuis cognitio, amorque Christi debilis ac remissus sit, exigua quòque illorum desiderium sentimus: Mensura etenim amoris, mensura est operationis ac disciplina.

II.
Vestis
Christi
purpurea

II. Vestis altera Christi purpurea, & Insignia, falsa sunt testimonia, quæ Salvator noster amavit, optavit, ac invictissimâ mansuetudine, patientiâ & caritate pertulit. Ejusmodi falsa testimonia audire desideratis? Audite.

1. Erat summus omnium benefactor, & malefactoribus annumerant; dum Pilato interroganti: *Quam accusationem afferis adversus hominem hunc?* Responderunt: *Si non eset hic malefactor, non tibi tradidissent eum.* Joan. 18. 19. Tanquam si dicerent: nostra testimonia sufficiunt, ut Eum sceleratum & mortis reum arbitreris, ulteriore examine superfedere poteris. 2. Erat Princeps pacis, calum & terram reconcilians; Hebræos & Gentiles in Ecclesiâ unâ artissimo pacis, caritatisque vinculo uniens: Et seditiosum, populorum concitatorem, ac discordiarum fatorem falsissimis testimoniis proclamant. *Subvertit Gentem; prohibet tributa dare Cesari, & docens commovet populum.* Lucæ c. 22. 3. Erat Salvator Mundi, animas ab erroribus & peccatorum labyrintho eripiens, velut

lux illuminans, per viam cæli ducens, atque omnes fallicitatis nebulas dissipans; & publicè tanquam seductorem delusum, impostorem, & in via petitionis detinentem proscindunt, & attestantur. *Non est bonus (inquunt) sed seducit turbas.* Joan. 7. 12. Et rursum: *Recordati sumus; quia seductor ille dixit adhuc vivens, post tres dies resurgam.* Matth. 27. 63. Quæ omnia Redemptor noster summâ patientiâ, mansuetudine, & silentio sustinuit.

Quàm præclarè R. P. Alphonsus Salmeron, unus è denis S. Ignatii Sociis, Christum Dominum imitatus sit; recenlet Tanæus in vita pag. 200. quando falsis testimoniis, calumniisque sparsum: ipsum in vincula congestum, rogò publicè exultum, in hæreticam prolapsum, Neapoli Genevam profugile; quæ omnia pugil invictus torti animo pertulit, donec Pontificis & Cardinalium testimoniis contrariis, ab omni fallicitate defensus, & honori restitutus fuit.

Vestem istam, Carissimi, ex contumeliarum & falforum testimoniorum centonibus meris contextam Salvator noster concupivit, elegit, gestavit: in inimicorum neminem, iram, vindictamque spirans, aut fulmen è cælo evocans; nec verbo sese defendens aut objecta diluens. O quàm sumus nos Regi nostro dissimiles? Quàm facile ad minimum verbum succensemus, refellimus, excusamus, vindicamus? Deserat quispiam innocentem ad Superiorem ex errore, ob rem exiguam, ob delictum non grave, & patebit virtus nostra.

III.

III. Tertia Christi vestis coecinea seu rubicunda, & ejus insignia, sunt variae injuriae, ex amore nostri toleratae; quae eo difficiliore, Redemptori accedere, quod ab hominibus ingratis, plurimisque beneficiis devinctis inferrentur.

1. Quanta injuria fuit, & ingratitude? Innumera patratat miracula, infirmos sanarat, caecos illuminarat; mortuos suscitarat: Et quid rependere stantur? *Quid facimus quia hic homo multa signa facit? si dimittamus eum, omnes credent in eum.* Joan. 11. 47. Quid facimus igitur? *Expedit ut unus homo moriatur pro populo.* Et omnes conclamant. *Moriatur.* 2. Quanta injuria & ingratitude? Judam a postolatus honore condecorarat, amicum intruxerat, educarat, Collegii Apostolici Procuratorem constituerat, & ab eodem osculo proditur, veneditur, & in manus hostium insensibiliorum traditur. 3. Quanta injuria & ignominia? Dominum licet innocentem a Pilato declaratum, tam nihilominus vilem reputatum, ut ad voluntati ludorum velificandum, & ad mortem eius gerendum, acerrime flagellandum curaverit, populo tamen hoc flagellationis supplicio nequaquam acquiescente; sed crucifigi insuper postulant?

Atque ut prorsus extraordinarias & inauditas injurias paucis perstringamus; quanta injuria existit Christum Dominum Barabba hominis flagitiosissimi o seditioso, homicidae, a Pilato postpositi Spinis instar Regis fictitii, coronari, detrita chlamyde per ludibrium indui, arundineo baculo, sceptri loco,

donari, carne discissa, & facie sanguinolenta, consputa, ac tumida toti populo lugubre spectaculum proponi, & ab illo nulla commiseratione moto, succlamari: *Crucifige, crucifige! tolle, tolle!* Ac denique Redemptorem mundi, Filium Dei inter latrones probrose in crucem agi. Quanam obsecro, injuria major vel excogitari valet? O quam splendet igitur hic in Christo vestis purpurea patientiae, & coecinea charitatis? Quam merito de populo suo pronuntiavit illud Psalmi 108. *Posuerunt adversum me mala pro bonis, & odium pro dilectione mea.*

O injuria Salvatoris prorsus stupenda! & alia inaudita! atque ex cordibus adeo ingratis, furoris, odiique mortalis felle repletis profecta! tam ineffabili nihilominus humilitate ac mansuetudine acceptata! O quam confunditis impatientiam nostram? Quis, Charissimi, bis exemplis non animetur, ut minimas injurias saltem (quales ferè Novitiis accidunt) patienti, si non libenti animo sufferat? Quis obganniat vel obstrepat, si innocens, culpa reus judicatur; si qui favere debebat, adversarium agat, si vilioribus postponi se videat, si non promeritis levem poenam subeat? Quantas hisce generose toleratis in caelo sibi coronas fabricaret? Sanè S. Aegidius S. Francisci socius asserere non dubitavit: *Melius esse unam injuriam insignem aut insaniam cum humilitate supportare, quam quotidie centum pauperes alere, ac plurimum jejunare.*

IV. Quanta Christi Sacerdotis magni vestis est ex bysso retorta, vestis alba, vestis irrisoria & illusoria, & fatuitatis, stoliditatis ac stultitiae index.

L 1 3

Hanc

IV.
Vestis
Christi
bysina,

Hanc vestem induit Salvator sub predicationis suae exordia, dum enim tanta libertate Evangelium annuntiaret populisque frequens accederet; ait S. Marcus cap. 3. 21. *Cum audissent sui* (Syrus, Theophylactus, Euthymius, Beda vertunt Fratruales) *exierunt tenere eum, & ligare, quoniam in furorem versus est.* Causam allegat Cardinalis Cajetanus in Matthaeum: *Viderant cognati usque ad tricesimum annum Mechanicis artibus occupatum, sciebant literis operam dedisse nunquam; ac propterea, audientes, quod cum concursu populi predicaret, existimarunt eum versus esse in insaniam, ideoque comprehendendum, ligandumque censuerunt, ne cum infamia cognationis, vagaretur garriendo.*

Induit quoque Rex noster vestem byssinam, & illudioriam comparens coram Rege Herode; eum videre desiderante, non ex devotione, sed curiositate vanâ, ut raram quodpiam prodigium videndo oculos pasceret. Verum cum nihil horum impetraret, nec verbum quidem exprimeret, sprevit eum cum exercitu suo, ceu hominem vilem, imperitum, idiotam, nec scientem, nec ausum coram aula loqui, nec utentem, oblatâ occasione, gratiam regiam captandi & liberationem obtinendi; ut explicat S. Bonaventura in cap. 23. Lucae. Quare tandem albâ veste induit veluti stultum, totique populo in plateis deridendum proposuit, & ad Pilarum remisit. Hac ratione Dominus humillimus nostram voluit confundere superbiam; qui sapientiae & doctrinae titulum ubique captamus, magnatumque

gratiam & favorem adulando procurare studemus. Voluit quoque nostris delictis satisfacere, nosque admirabili suo humilitatis exemplo ad pudicia hominum & favores Magnatum contemnenda excitare. Non licet quidem nobis absque expressâ Superiorum licentiâ stulticiam simulare; & si absque culpa nostrâ accidat, ignorantia, insipientia, imprudentia vitium, titulum nobis impingi, occasio Christum imitandi arripienda, avidèque amplectenda erit.

Viri sanctimoniâ illustres, quam plurimi strenuè Christi Domini vestigia legere. S. Martinus Episcopus, à multis contemptibilis, Episcopatu indignus, veste sordidus, crine deformis habitus, fuit: at ipse solatio gaudioque repleta calumniatores diligebat, ac pro in preces fundebat; ut refert Surius in vita.

S. Simeon Salus, vir sanctitatis admirandæ, ac prodigiorum magnorum patrator, Christum imitandi studio, ignominias, stulticiam titulum, injurias, contumelias, contemptus ardentè à Domino flagitavit atque obtinuit. Surius in vita.

B. Jacoponus tamen sapientiâ ingenii præditus, ex amore Christi Domini, ac mundi contemptu, stulticiam simulavit; adeo ut aliquando plumis verticibus cooperitus, Domum Franciscanarum nuptias celebrantis ingressus, eas turbavit, & cum pueris in platea luserit, ut contemptui ac ludibrio esset. Testis Joanne Baptista Modio in vita.

noster P. Gonzalvus ex contemptu sui desiderio coram gynæceo Reginae

Lulur

Lufitaniz Catharinæ, veluti à potestate mentis dejectum se gessit : ut refert Nicolaus Godignus in vita L. 3. c. 6. Similia in vita R. P. Bernardi Colnago, & S. Philippi Merii legere est.

R. P. Simon Rodericus unus è denis primis Patribus nostris Communitatis, Ambrosio Forreiræ Societatis Candidato, periclitandæ constantiæ ergo, imposuit, ut mediâ die, per urbem mediam, absque pallio & pileo, cranium dextrâ præferret, & in obviis temporibus aliquantulum orans subsisteret. Erat is ob musicæ peritiâ totâ urbe notissimus. Quis eum non delirare credidisset? Hoc experimento peracto, ad Societatem admissus fuit. Nec ista S. Ignacius intelligens improbavit, asserens se scire: Viros sanctos olim sanctas id genus insanendi rationes, præsertim conversionis suæ initio, magno in virtute profectu ad sui victoriâ adhibuisse. Lancicus in opusc. de consul. quærenda.

Quæ cum ita se habeant, Dilectissimi mi; & Christus Dominus Rex noster, vestem hanc, pro salute & exemplo nostro induerit; si servi ejus esse cupiamus, ejusdem vestimenta & insignia lubenti animo amplectamur, scilicet contumelias, falsa testimonia, injurias & irrationes; saltem in minimis & obviis, Tyronibus crebrò occurrere solitis: hæc enim viâ, sensim sine sensu ad graviora superanda disponemur: quod

nisi præstiterimus, signum est parum nos in Spiritu proficere: nam S. Ignacius ait in Regula. *Qui procedunt in Spiritu, ardentè exoptant, &c.* Cavendum tamen ne ista, commissâ à nobis culpâ, eveniant: sed exequamur Apostoli monitum: *Quod bonum est faciamus, fideliter, nemini dantes ullam offensionem, sed ex parte nostra omne malum, malique speciem fugiamus, ut non (culpâ nostrâ) vituperetur ministerium nostrum: sed in omnibus exhibeamus nos sicut Dei ministros in multa patientia, res omnes adversas ac molestas, undecunque acciderint, generosè supportando. Per arma justitiæ, id est per opera bona, justa & sancta, fortitudinem, constantiamque servemus: tam tempore prosperitatis, quam adversitatis transeantes, per gloriam & ignobilitatem, per infamiam & bonam famam: ut illâ non deiciamur, hæc non offeramur, aut in arrogantiam, ac vanam complacentiam extollamur; sed illam cum animi submissione toleremus, pro illa laudes Deo & grates referamus, qui omnia ordinat in Electorum suorum bonum.* Hæc observando Christi vestes & insignia, velut Aulici & Ministri ejus, gestabimus, ejus similitudinem acquiramus, animi demissionem nobis comparabimus, in Spiritu ac perfectione valde proficiemus, ac denique animas nostras meritis ac donis caelestibus locupletabimus.



REGU-